

Anonymous¹

Manuscript: **Kórník, Biblioteka Kórnicka PAN MS. 53, f. 122v-123v**

De sancto Stanislao

[Thema] *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* [Jn 10, 11]

Fratres dilecti, mater sancta Ecclesia duo festa hodie celebrat de sancto Stanislao annuatim: unum corpori suo sanctissimo et aliud anime gloriose, videlicet passionis et translacionis.

Nunc celebramus passionem, sed ante festum sancti Michaelis eius translacionem, [f. 123r], ideo hec scribit sanctus Iohannes cancellarius Iesu Christi ad honorem Dei omnipotentis et sancti Stanislai. Que verba predicta bene competunt sancto Stanislao episcopo, qui fuit pastor fidelis super gregem suum et *animam suam dedit pro ovibus suis*. [divisio thematis] Sed quia [sic!] ad verum pastorem pertinent **tria**, videlicet **doctrina bona, exempla et sancta vita**.

Doctrina, quod erudiat suos subditos in sermone, in confessione, ut fugiant peccata et ament Deum, misericordiam ostendendo. Unde Ecclesiastici XVIIIo [13]: *Habeat misericordiam et doceat et erudiat* suos subditos in sermone, *quasi pastor gregem suum*.² Sapiens enim erudit plebem suam, stultus tacet, quod non docet. Sed quia sanctus Stanislaus pavit oves suas pane spirituali, videlicet sancta doctrina, predicando verbum Dei ad fidem rectam et ad bona opera et virtutes populum convertendo.

Secundo ad pastorem pertinet, quod sit audax ad resistendum contrariis, non timendo lupos, id est malos homines. Unde Proverbiorum [12,26]: *Qui negligit damnum propter amicum, iustus non est*.³ Ideo sanctus Stanislaus, sciens iusticiam pro Ecclesia sua, audax fuit contra regem Boleslaum, qui fuit crudelis et tamquam tyrannus, quod ubicumque transiebat in terra, et stacionem secundum modum polonicum faciebat, annonas pauperum et omnia que habebant violenter auferebat, domos eorum destruebat et comburebat. Nobiles terre decollabat, et canes plus quam homines diligebat, catulos ad nutriendum dedit mulieribus, pueros eorum abiciendo. Et propter ista et alia multa mala facinora, beatus Stanislaus eum correxit,⁴ ut ista postergaret, et non timuit tamquam verus pastor.

Noluit tacere sicut mercenarius. Mercenarius vero, cum videt ovem deviantem, non eam revocat.

Si infirmatur ovis eius, non eam medetur.

Si devoratur, non lacrimatur.

Et si subtrahitur, non eam querit.

Sed sanctus Stanislaus, cum vidit homines errantes, docuit eos ad rectam fidem.

Si infirma fuit ovis per peccata, medebatur eam per confessionem Et sic oves sibi subditas sepe sanavit, quia fuerunt sibi obedientes in omnibus. Unde ad Hebreos XIIo [17]: *Obedite prepositis vestris et subicite eis*, quia sunt *racionem redituri pro animabus vestris*.⁵

Sed nunc oves, id est homines, deberent fieri obedientes suis plebanis confessoribus in omnibus factis que ad salutem et remedium animarum ipsorum essent proficuum, non

¹ Sermon no. XI in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² *Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum*.

³ Cf. Prov 12,26: *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*.

⁴ tyrannus... correxit] Cf. Peregrinus, *Sermones*, 587, lin. 52-59.

⁵ Cf. *Obedite prepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi racionem pro animabus vestris reddituri*.

contradicendo eis verbis, factis et loquelis. Sed, pro chdolor, iam sunt homines ita dissoluti, **rospusczonii**, quod nec Deum, qui eos creavit, nec vicarios eius curant, sed multa mala iam emerguntur in mundo, quia cottidie noctu dieque faciunt contra precepta Dei.

Ecce enim, si eis iubetur mane surgere, ad matutinas ire, nolunt, sed dormire volunt usque ad missam magnam.

Si iubentur esse casti tempore debito [f. 123v], sicut in festivitibus et in locis sacris, videlicet in ieiunio et in adventu et in puerperio, sed ipsi peccatis suis malis consuetis et pessimis, que sunt contra Deum et contra naturam peccant et non currant. Magis volunt esse cesti quam casti.

Si iubentur ieiunare, volunt comedere.

Si iubentur orare, volunt blasphemare dicentes: “Et tu iustificaberis per tuum ieiunium vel oracionem tuam?”

Si iubentur silentium servare in ecclesiis et in aliis sacris locis, volunt ut oves garulisare erga suos plebanos.

Si iubentur Deum et sanctos invocare, potius volunt cantalinas cantare et verba turpia loqui.

Si iubentur ad ecclesiam ire, potius volunt ire ad tabernas.

Si iubentur celebrare, libencius volunt laborare.

Si iubentur ire ad sermonem, potius volunt ire ad choream et ad truffas

Si iubentur elemosinam dare, potius volunt deludere in thasseribus, in gulis, in crepulis, vel alio modo turpi consumere.

Si iubentur loca sanctorum visitare, potius volunt ad ovisandum ire.

Si iubentur parentes et amicos honorare, volunt eos percuciendo et irascendo condemnare.

Si iubentur plebanis obedire, potius volunt in sua cecitate eos sevirere.

Et cum per hunc modum homines vivunt in hoc mundo, ac si nunquam deberent mori, sed semper eternaliter vivere, et non eiciunt malum a se, sed in malo cottidie stant, ergo, dilectissimi, *expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio* [1] Ad Corinthios V [7].

Quia scitis bene ex vobis, quod *servos malos et inutiles* non potestis servare in domibus vestris. Sic Deus non potest sustinere malos in hereditate sua, sed bonos.

Ideo sanctus Stanislaus volens hanc hereditatem acquirere, fuit fidelis servus Domini nostri Iesu Christi, et hoc acquisivit per frequentes oraciones et maturas supplicaciones, et eciam per opera misericordie, que exercuit in pauperibus, quos sepe pavit pane, scilicet corporali. Et cum infirmi, vidue et peregrini transiebant ad domum ipsius tamquam ad domum propriam et omnes refecit, considerans illud dictum Isaie [58,7] dicentis: *Frange esurienti panem tuum et egenos vagos[que] induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris*. Hoc fecit sanctus Stanislaus, de quo legit utque supra, eius legenda. Quere in primo sexterno.